

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Historia Zaringo Badensis**

**Schöpflin, Johann Daniel**

**Carolsruhae, 1765**

LXXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

## LXXV.

CHARTA CONRADI CONSTANTIENSIS EPISCOPI,  
 QUA BURCARDO MINISTRO DE KILHHAIN JUS PATRO-  
 NATUS IN TRES ECCLESIAS, KILHHAIN, MATIR  
 ET EMMOTINGIN, VARIIS RATIONIBUS,  
 COMPETERE DECLARAT.

A N N O M C C X V.

*Ex tabulario S. Petri Basileæ.*

**I**n nomine Sanctæ & individue Trinitatis. Ego Conradus Constantien-  
 sis Episcopus Christi fidelibus præsentibus & posteris salutem in  
 Domino. Res in litigio posita in iudicium sæpius deducta postquam ju-  
 ris servato ordine per diffinitivam sententiam finem acceperit & sopita  
 fuerit ne iterum forte oblivione vel aliqua maliciosa temeritate partium  
 in litem resurgat. decens est ut veritas dijudicata scripto commendetur  
 & munimine sigillorum roboretur. præsentibus igitur & posteris plenius  
 innotescat quod Burcardus minister de Kilhhain conditione liber contra  
 adversarios suos per multa obtinuit iudicia jus patronatus in hiis tribus  
 ecclesiis Kilhhain, Matir, Emmotingin & hoc jure foundationis, quosdam  
 etiam cognatos suos Algotum videlicet qui secum jus habuit patronatus  
 in ecclesiis dictis & alios quosdam qui sibi esse patronatum in illis dicta-  
 bant per intercessionem pecuniæ & Patrimonii sui a jure patronatus quod

habebant vel habere volebant removit & exclusit, postmodum ad majorem facti sui & justiciæ suæ roborationem comparuit coram nobis in præsentia multorum tam clericorum quam laicorum apud Haitirshain plura nobis ibi exhibens instrumenta de re judicata sibi loquencia & quod quieta possessione deberet gaudere juris patronatus ecclesiarum sæpius dictarum fideliter affirmantia. produxit etiam ibi quosdam fenes viros fatis ut videbantur honestos qui jurati affirmabant eum legitime possedisse patronatum istarum ecclesiarum. Nos autem cognita justiciâ dicti B. præsentem paginam ad ipsius petitionem veritatem & justiciam suam continentem conscribi fecimus munimine nostri sigilli consignatam. Testes autem justiciæ suæ fuerunt Hainricus Heinburge Wernherus villicus de Kilhchain. Conradus Belleh. Præfentes autem erant. de Brisaco & de Betbur decani, H. plebanus de Niowinburg. Ulricus plebanus in Hertinhain. Hainricus camerarius & plebanus in Tegirnowe. Wernherus plebanus in Wolpach. Hugo miles de Emperingin. Gotefridus miles de Badin. Fridericus miles de Mulnhain. Rodolfus de Witolikon. Rodolfus Villicus de Strale. - - & Baldiprehtus Marschalcus ministeriales ecclesiæ nostræ & alii quam plures tam clerici quam laici. Acta sunt hæc Anno ab incarnatione Domini 1215. quinto Kal. Decemb.

---